

- A cervice prorogans spacio decenti
 Humeros pulcherrimos cuilibet cernenti.
- 33 Lacerti se iunxerant brachiis ornatè
 Et ulne a cubitis iuste dirivate:
 Manus suaves, tenere, liliis aptate,
 Iuncturis et digitis optime formate,
 Et unguēs sanguineis¹ pulpis coequate.
- 34 Qui videret brachia corporis tam clari,
 Ad amplexus merito posset incitari,
 Sed in signum corporis coitus ignari
 Decebant in pectore situ puellari
 Duo dura pomula, nescia palpari.
- 35 Iuste convallacio laterum equata
 Omni moderamine fuit moderata.
 Ista nulla pulcrrior fuerat creata:
 Vestis ei decuit, qua fuit parata,
 Videbatur etenim quasi secum nata.
- 36 Vestis modis omnibus fuit speciosa,
 Decens, delectabilis, placens, graciosa.
 Portat portat pulchrius, violansque rosa².
 Nam si virgo pulcher³ est, vestis est formosa.
 Vero enim testui conformatur glosa.
- 37 Per hec quae exterius erant tam decora,
 Pro certo relinquitur, quod secreciora
 Erant hiis extrinsecus satis dulciora,
 Cum dicat philosophus, quod exteriora
 Faciunt perpendere nos interiora.
- 38 Puella quae specie tanta resplendescit,
 In qua tantam speciem Dominus impressit,
 Quae nativo lumine sidera precessit,
 Gressu delectabili leviter incessit,
 Ceptrum manu dextera, leva librum gessit.
- 39 Dum ad librum oculus meus se direxit,
 Operantem dominam triplicem prospexit,
 Quarum una tenui librum pelle texit,
 Eundem asseribus secunda protexit,
 Tercia depingere librum non neglexit:
- 40 Donatus in pellibus depictus, scrutatur Gramatica
 Artem qua quis construit, aut versificatur,
 Scribit, legit, exprimit id quod meditatur.
 Nemo istam nesciens, fronesi loquatur,
 Cum suum ydioma non intelligatur.
- 41 Celatus sub tenui pelle se ostendit Logica
 Summus Aristotiles, qui artes deffendit,

1) 'sanguineos' Hs.
 verschrieben.

2) Der Vers ist unverständlich und offenbar
 3) Sic!